

## Miscellen.

### Aristotelis Politic. VI 18.

Aristoteles Polit. B. 9 p. 1271 a (Susemihl. ed. 3 p. 60) eam potissimum rem vituperat, quod Lacedaemoniorum senatores rationem reddere non debent. Quo factum esse, ut facile pecunia corrupti non ex iure, sed ex gratia iudicarent et res publicas administrarent. Sed paulo superius (§ 15) senatum laudaverat verbis: οἱ δὲ καλοὶ κάγαθοὶ διὰ τὴν γερουσίαν (scil. τιμὴν ἔχουσιν), ἄθλον γὰρ ἢ ἀρχὴ αὕτη τῆς ἀρετῆς ἐστίν. Quae laus valde minuitur loco de quo acturi sumus; nam magistratus, qui ridicule paene creatur, id quod Aristoteles iis quae sequuntur exponit, magistratus, inquam, cuius fama apertae corruptionis crimine laeditur, ἄθλον τῆς ἀρετῆς esse minime potest. Et quamquam ephori ab omnibus magistratibus postulare possunt, ut rationem reddant, tamen haec quoque res non emolumento sed detrimento civitati est propterea quod tum et ephoris nimium conceditur et hic rationis reddendae modus non talis est, qualem oportet esse. Prius iam ab Aristotele expositum erat periculosum esse senes plus sexaginta annorum, quorum mens ne infirma esset metuebatur, per totam vitam magnarum rerum discrimen habere. Sed audiamus ipsum! Φαίνονται δὲ καὶ καταδωροδοκούμενοι καὶ καταχαριζόμενοι πολλὰ τῶν κοινῶν οἱ κεκοινωνηκότες τῆς ἀρχῆς ταύτης. διόπερ βέλτιον αὐτοὺς μὴ ἀνευθύνους εἶναι· νῦν δ' εἰσίν. δόξειε δ' ἂν ἡ τῶν ἐφόρων ἀρχὴ πάσας εὐθύνων τὰς ἀρχάς· τοῦτο δὲ τῇ ἐφορείᾳ μέγα λίαν τὸ δῶρον, καὶ τὸν τρόπον οὐ τοῦτον λέγομεν διδόναι δεῖν τὰς εὐθύνας. ἔτι δὲ καὶ τὴν αἴρεσιν ἦν ποιοῦνται τῶν γερόντων, κατὰ τε τὴν κρίσιν ἐστὶ παιδαριώδης, καὶ τὸ αὐτὸν αἰτεῖσθαι τὸν ἀξιωθησόμενον οὐκ ὀρθῶς ἔχει· δεῖ γὰρ καὶ βουλόμενον καὶ μὴ βουλόμενον ἄρχειν τὸν ἄξιον τῆς ἀρχῆς. — In enuntiato διόπερ — εἶναι codices exhibent ἀνευθύνους, quod apud Aristotelem nisi hoc loco nusquam exstat. Reliquis locis omnibus legitur forma ἀνυπεύθυνος. Satis habeo Politicorum tantum locos enumerasse, ubi ἀνυπεύθυνος traditum est, velut Susemihl. edition. p. 194 (§ 3) ἕτερον εἶδος δημοκρατίας τὸ μετέχειν ἅπαντας τοὺς πολίτας, ὅσοι ἀνυπεύθυνοι, ἄρχειν δὲ τὸν νόμον, p. 196 (§ 4) ἕτερον δὲ εἶδος διὰ τὴν ἐχομένην διαίρεσιν, ἔστι γὰρ καὶ πᾶσιν ἐξεῖναι τοῖς ἀνυπεύθυνοις κατὰ τὸ γένος, μετέχειν μέντοι δυναμένους σχολάζειν, p. 203 (§ 3) τοιαύτην δ' ἀναγκαῖον εἶναι τυραννίδα τὴν μοναρχίαν, ἣτις ἀνυπεύθυνος ἀρχὴ τῶν ὁμοίων καὶ βελτιόνων πάντων πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῆς συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων. Gravissimum vero argumentum ἀνυπεύθυνος scribendum esse praebent verba Aristotelis p. 65 (§ 6) . . . καὶ περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι γερόντων, τὸ γὰρ ἀνυπεύθυνον καὶ τὸ διὰ βίου μείζον ἐστὶ γέρας τῆς

ἀξίας αὐτοῖς καὶ . . . ἐπισφαλές. Haec enim verba ad nostrum locum referenda sunt, quoniam Aristoteles de Cretensium senatoribus ibi sine dubio idem dicturus est quod antea de Lacedaemoniorum senatu, et in Cretensium et Lacedaemoniorum civitate comparanda forma ἀνυπεύθυνος (p. 65) ad id spectat quod prius de ratione a Laconico senatu non reddenda iam exposuerat. Hoc vel inde apparet, quod utroque loco exstant verba διὰ βίου et κατὰ γράμματα ἄρχειν ἄλλ' αὐτογνωμονας, altero loco ἐπισφαλές, altero οὐκ ἀσφαλές. Guilelmus de Moerbeka utroque loco transfert latine 'sine correctione'. Quare codicum lectio cum Sylburgio utique mutanda est in ἀνυπευθύνους. Neque Thucydidis verba III 43 χρῆ δὲ πρὸς τὰ μέγιστα καὶ ἐν τῷ τοιῷδε ἀξιοῦντι ἡμᾶς περαιτέρω προνοοῦντας λέγειν ὑμῶν τῶν δι' ὀλίγου σκοποῦντων, ἄλλως τε καὶ ὑπεύθυνον τὴν παραίνεσιν ἔχοντας πρὸς ἀνεύθυνον τὴν ὑμετέραν ἀκρόασιν lectioni ἀνυπεύθυνος obici possunt. Hic enim opponuntur verba ὑπεύθυνος i. e. rationi reddendae subiectus et ἀνεύθυνος i. e. sine rationis reddendae voluntate vel officio (ἀνυπεύθυνος paulo aliter indicat rationi reddendae non subiectum). Ceterum etiam apud Thucydidem melius ἀνυπεύθυνος scribitur.

Deinde verba τοῦτο δὲ τῇ ἐφορεία μέγα λίαν τὸ δῶρον, si hanc codicum lectionem sequamur, vertenda sunt: '*Dieses gewährte Recht, diese Concession ist für das Ephorenamt allzugross*'. Non placet; aliud enim videtur Aristoteles cogitasse et propter dativum τῇ ἐφορεία — exspectatur enim genitivus δῶρον τῆς ἐφορείας — et quod verba τοῦτο et τὸ δῶρον nimio intervallo disiuncta sunt. Censeo articulum τὸ ante δῶρον delendum esse et verba hoc modo transferenda: '*Dies (videlicet τὸ εὐθύνειν πάσας τὰς ἀρχάς) ist eine allzugrosse Concession für die Ephoren*'. Similiter Aristoteles p. 59 (§ 14) dixerat διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν εἶναι λίαν μεγάλην; ephorum igitur potestas nimia erat; haec vero illo loco δῶρον appellatur. Fortasse etiam pro μέγα λίαν τὸ δῶρον legi potest μέγα λίαν τι δῶρον.

Transit ad creandi senatus modum, quem etiam Plutarchus vit. Lyc. cap. 26 accuratius describit. Verba καὶ τὸ αὐτὸν — ἔχει, quippe quae sic coniungenda sint: καὶ τὸ αἰτεῖσθαι αὐτὸν τὸν ἀξιωθησόμενον τῆς ἀρχῆς οὐκ ὀρθῶς ἔχει, non recte vertit Susemihlius: '*und ebenso ist es nicht richtig*', quasi αὐτὸν generis neutrius sit. Nam si hoc loco neutrum posuisset Aristoteles, certe scripsisset aut τὸ αὐτό aut ταυτό vel ταυτόν; praeterea si hoc esset '*item*', tum articulus ante αἰτεῖσθαι omissus non esset, saltem enim erat scribendum καὶ τὸ αὐτὸ τὸ αἰτεῖσθαι . . . οὐκ ὀρθῶς ἔχει (*und ebenso ist die Bewerbung nicht richtig*). Ego vero sic transferri iubeo: '*et ea res quod is, qui dignus iudicatus est, qui hoc magistratu fungeretur, ipse petere magistratum debet, non recte se habet*'. Nam petere eum debuisse elucet ex Plutarchi verbis l. a. βοῆ γὰρ ὡς τᾶλλα καὶ τοὺς ἀμιλλωμένους ἔκρινον οὐχ ὁμοῦ πάντων ἄλλ' ἐκάστου κατὰ κλῆρον εἰσαγο-

μένου καὶ σιωπῇ διαπορευομένου τὴν ἐκκλησίαν. Est vero ἀξιω-  
θησόμενος is qui ad hunc magistratum destinatus est. Repre-  
hendit igitur Aristoteles petitionem, 'debet enim, inquit, imperio  
dignus nolens volens imperare!'

Halis Saxonum.

C. Haebelin.

---